qui medicinæ quid deesse ad laudem et ad gloriam, quomodo
possint dicere non video? An dicent ei deesse antiquita-
tem? quæ, ut audistis, in ipsis nascentis mundi incunabu-
lis cum mortalibus apparuit. An dignitatem? quæ ab Im-
peratoribus, Regibus ac principibus, viris sanctissimis,
immò Deo ipso fuit exculta. An utilitatem? quæ omnes
morbos depellere, et fractas animi ac corporis vires restau-
rare docuit. Hæc cum ita sint, quis est, qui huius ex-
cellentissimæ scientiæ studiosos maledico dente carpere,
illosque veneficæ cuiusdam artis inventores appellare au-
deat? quis est, qui eos carpat aut nigro, ut aiunt, car-
bone notandos existimet, qui huic utilissimæ arti sese ad-
dicunt? Laudamus fictas poëtarum fabulationes, in quibus non
pauca obscoena et cognitione indigna reperiuntur. Extol-
limus historicos, qui licet bellicosarum gentium, imperiosarum
populorum, potentium Regum, fortissimorumque virorum glo-
riosa et illustria facta commemorent, multa tamen vana,
incerta, falsaque non rarò propinant. Commendamus eos, qui
divinæ philosophiæ omnem operam ac industriam suam dedicant,
in quorum lyceis multa spinosa, conversa, ridicula, conten-
tiosa, futilia prorsus et inutilia, quæ non sciuntur sed quæ-

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20202v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20202v)